tuam intus scio te nec intolerantem discipli-
nae, nec ferocem esse. Fac periculum an possis
forti animo τὰς τῶν κακῶν ὑπερβολάς. θεῷ τῷ
ἐπιτάσσοντι ut gaudeamus, sive maneas, sive venias
nihil tibi freno, nihil vinculis, nihil aliena custo-
dia opus esse. Vale. Tuus Johannes Molanus

200.)

Reverendo D. Doctori Gulmaro
U. I. Professori Lovanii precor
pacem a Deo per Dominum
nostrum Jesum Christum.

[= Mscr. a. 7 – Nr. 60]

Haeret etiam nunc in recenti memoria, vir
humanissime, quod me olim in Liliana schola
pauperculum adolescentem, et diligenti in-
stitutione et subsidiis vitae benigne promo-
visti, nec excidet animo donec ero, et quan-
tis angustiis tua fides atque integritas me
opportune asseruit cum plane omnis expers
consilii cum Drostanae scholae difficultatibus lu-
ctarer. Itaque haec tua maxima in me bene facta
ubicunque possum honorifice commemorare soleo,
neque desino studiose precari filium Dei servatorem
nostrum, ut quia mihi omnis refe-
rendae gratiae facultas adempta, ipse liberali-
tas aeternis bonis omnia tibi cumulatissime
rependat. Amen. Quod autem nihil scripse-
rim hactenus non est obscurum, quibus necessi-
tatibus prohibitus sim in tam sinistris nostra-
rum de me judiciis, ut ne perferre quidem vel
isthuc literas sine periculo aut malae suspicio-
nis quisquam possit. Nunc quia tandem occa-
sionem adeptus sum te saltem scire D. Docto-
rem veterem Patronum meum cupio, et vi-
vere Molanum

vere Molanum quamvis aerumnose, et novis ami-
cis paratis nequaquam oblivisci veterum, sed vestra de ao 1566.
imprimis beneficia grati animi memoria complecti.
Quod autem de doctrina pietatis scribam, ut ex
parte cognoscas mittere ausus sum tua fretus man-
suetudine, carmen non illud quidem eruditum, sed
tamen ex animo his proximis feriis in meditatio-
ne passionis Christi a me compositum, quod habeto
aliquam meae fidei quantulaecunque est et poeniten-
tiae significationem. Porro si cognoscere se nos ver-
siculos aut non aspernabitur tua aequitas aut gra-
viorum curarum distractione non impeditur, in-
telliges (ni fallor) neque prorsus malas nos mente prae-
ditos esse, neque ullius insanae doctrinae causa patriis
commoditatibus carere. Vale Doctor venerande. Duis-
burgi 3. Calend. Maij 1566.

Multis beneficiis tuae boni-
tati obnoxius
Johannes Molang.

D. Jeronymus Commelin. Emdae 201.)

Pax Christi.

Postridie B. Johannis et reddita nobis sunt ve-
strae literae nummatae et Jacobus vester paucis an- [= Mscr. a. 7:
te horis nuntio Coloniam petenti suas commisit. Nr. 61]
Primum quod te scribis vir optime societatem inter
nos perpetuam amicitiam arctissime conserva-
re magnae mihi voluptati fuit, quod re ipsa saepe com-
peri, id etiam in epistola tanquam in quodam animi
tui speculo expressum videre. Et gratias ago Deo
patri nostro, quod in spem futurae resurrectionis
aliqua luce suae sanctitatis in filio dilecto consp-
tinaverit animas nostras. Colligit M. Tullius